

RECTOR
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS
CAROLVS FERDINANDVS
SCHMID

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR
PROFESSOR MORALIVM ET CIVILIVM
PVBLICVS ORDINARIVS

AD

AVDIENDAM ORATIONEM

IN MEMORIAM BENEFICII MARPERGERIANI

D. XXX. MAII A. C. MDCCCLXXXVIII

H. L. Q. S.

A

CAROLO GODOFREDO IEHNICHEN

A. L. M. ET AMPLISS. ORD. PHILOS. ADIVNCTO

ORDINARIO

RECITANDAM

INVITAT.

N. J.
in Johanne
in vntu: 198

Exeg.
c.

70,16

MELETEMATA SACRA
IN EVANGELIVM IOANNIS.

Meletema quintum.

Saeplissime vsus est Iesus, Seruator optimus, sapientissimo benignissimoque consilio in tradendis dogmatis doctrinae diuinae oratione tropica et figurata, vel vt excitaret audientium ingenia, atque ad maiorem cognitionem paulatim alliceret ac praepararet, vel vt animorum imbecillitati inferuaret, propriorum verborum perspicuitatem nec permittenti, nec capienti. Sic in sermone eo, quem habuisse aliquando cum muliere quadam Samaritana traditur a Ioanne in Euangelio quarto Capite, cum dicere vellet, vt vidimus nuperrime, quemcunque, qui bona, quae impertiat, cognouerit, expetierit, amauerit atque vsurpauerit, et verissimam, et perfectissimam, et constantissimam felicitatem percepturum esse, vsus est oratione hac: *qui aquam biberit, quam ego do, sitiet nunquam.* In qua admirari iubet CHRYSOSTOMVS, in *Io. Hom. XXXII.* sapientiam Domini, qui, vt acueret mentem mulieris, quoniam spiritualia capere non posset, discen-

discendique studium in illa accenderet, rebus visibilibus immorabatur; nam si dixisset: si credideris in me, beata eris, illa non intellexisset, cum non nosset eum, in quem credere iubebatur. Verissime. Etenim ne sic quidem assequebatur mentem Domini, dum dicebat haec: *da mihi, domine, aquam eiusmodi, ne mihi, recurrente siti, huc itandum sit ad aquam hauriendam.* Neque tamen indigne tulit, contemni puteum Iacobi, de quo religiose sentiebat, nec irrisit magnificam orationem et ignoti, et Iudaei atque alieni, sed discere cupiit, quaenam esset illa aqua.

Quare Dominus, de ista re sermonem abrumpens, ad aliam vertit, atque argumento omniscientiae suae eam prouocauit, ut de ipso statueret magnificentius. Iubet enim, ut maritum suum accersat, atque illo comitata mox redeat. *Abi, inquit, ad accersendum maritum tuum, et cum illo redi.* Ac Dominum quidem sciuisse, feminam non habere maritum, (*ἀνδρα*,) dubitari non potest vel propterea, quoniam ipse paulo post diserte declarabat. Sed quorsum tamen accersere maritum iussit, quem non habere sciret? Cuius quidem rei interpretes antiquiores, velut **CHRYSOSTOMVS**, varias causas excogitare conati sunt, neque tamen satis probabiles. Iussit autem haud dubie propterea, quoniam sciret, quid illa, iussa aduocare maritum, responsura esset, occasionemque anquireret, eam et de vitae ratione admonendi, et ad sui admirationem alliciendi. Atque hic rectissime **CHRYSOSTOMVS** animaduerti iubet et modestiam Domini et sapientiam, quod non statim omnem illi vitam enarrauisset, sed primum eius rei occasionem quaesiuisset, ut, quae dicturus esset, aut necessario, aut certe apte dicere videretur, nec ab initio significasset, quinque eam maritos habuisse, ne, cum se vatem esse ostenderet, fecisse videri posset arrogantius atque ambitiosius, aut raptum iuisse diuinitatem, ut Paulus Aposto-
lus

lus aliquo loco dixit pulcherrime. Maritum itaque accersere iussit.

At illa, Iesum merum hominem existimans, turpitudinemque suam dissimulare cupiens, sed suffusa tamen pudore: *domine, ait, maritum non habeo*; legitimum nempe intelligebat. Iesus vero, et suam omniscientiam declarans, et mulieris vitam comiter arguens: *recte, ait, maritum legitimum non habes; habueras maritos quinque; sed quem nunc habes, non est maritus tuus legitimus; haec verissime, (ἀληθὲς eleganter pro: ἀληθῶς,) dixisti*. In quo sermone primum euidenter patet, Dominum edidisse omniscientiae suae, atque adeo diuinitatis, documentum longe illustrissimum. Etenim ne occultissima quidem mulieris facta et probra domestica eum latebant, quae ex hominum narratione scire non poterat. Neque haec tantum, quae hoc loco tradita reperiuntur ab Euangelista, sed plura ipsi dixisse, ab hominis meri scientia longissime remota, probabile fit ex versiculo nono et vicesimo, vbi femina conuocasse perhibetur ciues ad visendum hominem admirandum et occultarum rerum conscium, qui ipsi enarrauerit secreta omnia, quae fecisset. Quod *τὰ πάντα* non vrgemus, sed tantum de magna parte intelligimus, quoniam hoc loco est oratio popularis; tamen indicatur multa pars et maior haud dubie, quam quae segmento decimo octauo narrata reperitur. Vnde in promptu est, quod diximus. Deinde quando quinque maritos habuisse dicitur, quaerunt interpretes, num legitimi fuerint, an illegitimi? Fuerunt enim, qui existimarent, quinque illam viros habuisse ad libidinem, nullum legitimum, idque patere putarent inde, primum, quoniam alias nihil occultum Dominus ei patefecisse videretur; deinde quoniam omnia sua peccata occulta a Christo sibi indicata fuisse versiculo vicesimo nono significauerit, atque inter ea sine dubio numerauerit et hoc, quod viros quinque, illegitimos

nimirum, habuisset. Cuius sententiae MALDONATVS fuit, eiusque rei causa ad CHRYSOSTOMVM prouocauit, existimantem, viros illos quinque non modo omnes adulteros fuisse, sed etiam eodem tempore feminam habuisse ad libidinem. Alii tamen, iique plerique fere omnes, mitius statuunt, et maritos legitimos fuisse putant, quorum alter post alterum vel eam repudiatam deseruerit, (propter adulterium commissum opinantur nonnulli, rectius fortasse dixeris propter illius temporis licentiam in hac re,) vel vita defunctus fuerit, nunc vero sextum accessisse, quocum tamen non legitimo matrimonio iuncta, sed in pellicatu vixerit. Quicquid fuerit, certi enim quid dici non potest, verissima tamen comperit, quae dixerat Dominus. Vnde magnificentius de eo sentire et loqui coepit, quem arcana hominum nosse intelligeret: *Domine, inquiens, te vatem esse intelligo.* His enim tacite profitebatur, vera fuisse, quae dixisset, ac quoniam occulta patefecisset, hinc vatem esse colligebat.

Neque tamen aegre tulit reprehensionem, nec irritata regressit contumeliam, sed potius eo magis in eius admirationem inflammata, pudefacta tamen, mox interrupto de rebus suis sermone, quaestionem ei proponit, velut inexplicabilem, de loco modoque adorandi Deum; in qua Iudaeos et Samaritanos constat vehementissime dissensisse. Quamuis enim vtraque gens Deum eundem adorabat; eum tamen illi non nisi Hierosolymis in templo, hi vero in monte Garizino adorandum esse colendumque statuebant. Scilicet Iudaei, reduces e Babylónico exilio, cum templum et sacra instaurassent, nec Samaritanos, qui mixti erant Israelitis et Gentilibus, a regibus Assyriacis in Samariam ad agrum colendum missis, admittere voluissent in communionem sacrorum; his tandem et ipsis templum exstructum est per Manassen, sacerdotem, auctoritate Sanaballetis, qui erat illius socer et in Samaria σατράπης, vt rem narrauit

rauit IOSEPHVS *Antiqu. Iud. XI, 7 et 8.* Hoc igitur templum, in monte Garizino aedificatum, Hierosolymitano longissime praeferendum esse, contendebant propterea, quoniam non modo in eo monte sacra fecissent Abrahamus et Iacobus, verum etiam Moses destinasset hunc montem, in quo seniores populo bene precarentur, atque adeo etiam, vt habet quidem Codex Samaritanus, aram exstrui praecepisset, cui legem inscriberent, in qua holocausta offerrent, vbi sacrificia eucharistica mactarent, epulas sacrificales instruerent et dies festos agerent. Vid. *Deut. XI, 29. XXVII, 5 seqq.* et ad haec loca, instar omnium, S. V. DATHIVS. Diruto deinde hoc templo per Ioannem Hyrcanum, quoniam ob faeuitiam Antiochi Epiphanis cultui idolorum dicatum fuerat, aram tamen in eo monte habebant, in qua ad normam legis Mosaicae sacra faciebant vero Deo. Hinc ortum erat odium acerbissimum inter Iudaeos et Samaritanos, dissensusque vehementissimus, vtrius nationis cultus esset sanctior; vtraque gente alterius sacra contemnente, veluti idololatrica, et Samaritanis quidem templum Hierosolymitanum domum maledictam, et montem Garizinum montem benedictum, hunc vero Iudaeis montem idolorum appellantis; de quo vid. WETSTENIVS. De hac igitur re quid sentiendum sit, rescire cupit femina a Domino, velut a vate, harum rerum non ignaro. Fatur enim hoc modo: *maiores nostri in hoc monte sacra fecerunt, nec nos alibi fas esse putamus, cum vos Hierosolymis sacrorum faciendorum locum legitimum esse existimetis; quid tibi de hac controuersia videtur? quaenam gens rectius statuit? vtrius cultus est sanctior voluntatique diuinae conuenientior? Hic est sensus sermonis mulieris versiculo vicesimo.* Nam verbum *προσκύβειν*, in promptu est, exprimere adorationem eam, quae fiebat sacrificiis ceterisque ritibus publicis et solennibus, atque adeo denotare: *sacra facere.* Etenim Deum adorare precibus venerarique, vbiq̄ licebat et Samaritanis et Iudaeis; sed sacrificia

ficia

ficia offerre extra templum Hierosolymitanum, non licebat Iudaeis. Igitur disputatio erat de sacris, eorumque faciendorum loco. Deinde non sine causa dixisse videtur: *maiores nostri sacra fecere*. Etenim excusare volebat Samaritanos et laudare, ipsos exemplo et auctoritate maiorum cultum publicum instituisse, Iudaeos autem accusare, tanquam destituti exemplo et auctoritate maiorum Hierosolymis sacra facerent. Tuetur itaque cultum Samaritanorum ac defendit maiorum auctoritate. Quosnam vero maiores intellexerit, dissentiunt interpretes. Quidam enim innui putant maiores Samaritanorum, qui in illo monte temporibus Manassis cultum religiosum constituerint; plerique tamen omnes, inter quos ex antiquioribus fuit CHRYSOSTOMVS, *Hom. XXXI. in Io.* indicari putant Abrahamum, Isaacum et Iacobum, quos et Samaritani maiores suos iactauissent, et ex quibus Abrahamus in illo monte filium pro sacrificio offerre voluerit, Iacobus autem in eodem loco ara exstructa, oblato sacrificio, Deum adorauerit. *Gen. XXII, 2. XXXIII, 20.* Atque hi haud dubie videntur intelligendi esse, primum propter argumenti grauitatem, quo tueri volebat cultum Samaritanorum; deinde vero etiam propterea, quoniam ex loco IOSEPHI, quem excitauimus supra, Samaritanos constat genus suum ad Iacobum in primis referre solitos fuisse. Itaque rite quidem et pie fecisse putat Samaritanos, quod in monte illo cultum publicum instituisent; sed tamen rescire cupit a Iesu, quid sibi videatur.

Ac Dominus quidem ad hanc quaestionem, quoniam ad fidem pietatemque pertinebat, respondit sic, vt doceret, necesse non esse, de loco modoque adorationis multis disputare, cum instet magna sacrorum publicorum immutatio, cumque futurum sit, vt neque Hierosolymis, neque in monte illo, nec vpiam in templis et aris, sacrificiorum puritate et nidore, rituumque

tuumque externorum magnificentia, sed vbiq̄ue in vniuerso orbe terrarum, animi vitaeque integritate et sanctitate, Deo cultus praestetur. *O mea*, inquit, *futurum esse scito, ut neque in hoc monte, neque Hierosolymis patri sacra faciatis. Vos sacra facitis, de quibus nou constat; constat autem de nostris; nam e Iudaeis salus est. Instat vero tempus, immo vero iam adest, quo veri cultores adorabunt patrem spiritu integro, cuiusmodi cultores pater desiderat et probat. Nam Deus ut ipse spiritus est; ita quoque colendus est spiritu eoque integro.*

Itaque non statim ab initio respondit ad quaestionem propositam, vtri rectius sacra facerent, Iudaeine Hierosolymis, an Samaritani in monte, sed totam quaestionem, ait, inutilem videri posse et superuacaneam, propterea, quoniam futurum esset, vt cultus externus vniuersus, qui sacrificiis ritibusque perageretur et certo loco et populo adstrictus esset, penitus aboleatur, atque adeo sacra et Iudaeorum in templo et Samaritanorum in monte abrogentur, discidiumque tollatur, quod distinxerat hactenus vtriusque gentis animos. Ac per formulam: *ἐρχεται ὥρα*, qua vsus est Dominus, in promptu quidem est, tempus futurum declarari; sed de quonam tempore locutus fuerit, interpretes quaerunt, existimantibus plerisque, innui tempus excidii vr̄bis et templi Hierosolymitani. Quod quamuis non improbabiler disputent; tamen, tempus certum ac definitum intelligere, opus esse non videtur, cum in vniuersum exprimat̄ur tempus breui futurum.

His igitur docere voluit, superuacaneam esse quaestionem propositam. Iam vero eam dirimit, sic, vt maiori iure Iudaeos Hierosolymis, quam Samaritanos in monte, sacra fecisse doceat verbis his: *ὑμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ οὐκ οἶδατε, ἡμεῖς προσκυνῶμεν, ὃ οἶδαμεν.* Quae cum paulo difficiliora sint, non eodem modo explicata reperiuntur ab interpretibus. Plerique, ex antiquioribus quoque, τὸ ὃ, de Deo intelligi iubent, cui sacra fecerint, quem-

quemque Samaritani nec recte cognitum habuerint, nec legitimo modo coluerint, quemque, vt CHRYSOSTOMVS loquitur, circumscribi loco, immo quasi diuidi posse existimauerint; a cuius opinionis vanitate Iudaei fuissent immunes. Itaque interpretantur in hanc sententiam: *vos colitis Deum, quem recte non nostis; nos vero rectius nouimus.* Alii vero de loco modoque cultus publici accipiendum esse praecipunt, idque haud dubie rectius, et seriei orationis rei que ipsi conuenientius. Primum enim non quaerebat mulier, vtri veriore Deum, sed vtri sanctiore loco eundem verum Deum colerent. Deinde dubitari vix posse videtur, Samaritanos non minus, quam Iudaeos cognitum habuisse Deum, eumque coluisse ad normam legis Mosaicae; atque si res iudicanda est ex hoc nostro et aliis locis N. T. de multis non modo morum praecipitis, verum etiam fidei capitibus, nominatim de Messia, illo tempore rectius sensisse videntur Samaritani ipsis Iudaeis, vt verissime iudicauit, vt solet, SCHROECKHIVS noster, *V. Cel. Hist. Eccl. T. I. p. 407.* Neque enim confundendi sunt recentiores Samaritani tempore Christi, cum antiquioribus; multo rectius illi statuerunt de capitibus religionis, atque hi; et quamuis non nisi libros Mosaicos admitterent praelegendosque curarent in conuentibus sacris, neque tamen ignaros fuisse doctrinae prophetarum, ex hoc ipso loco, vers. 25 patet, vt rectissime monuit ERNESTI, immortalis memoriae Vir, *Bibl. Theol. Nouiss. T. II. p. 126.* Igitur Dominus locutus est haud dubie in verbis supra commemoratis non nisi de loco cultus publici, eiusque mens fuit haud dubie haec: *vos sacra facitis eo in loco, de quo deserto aliquo praeecepto diuino non constat; sed sacra facimus in tali loco nos eoque in templo, quod iussu diuino in hanc rem conditum est destinatumque.* Verissime igitur BENGELIVS Gnom. ad h. l. τὸ ὄ, ait, *non obiectum adorationis notat, sed formam, sic: vos nescitis, qua adoratione utamini, nos scimus, quae sit adoratio nostra.* Nec praetermittenda est lectio
Cod.

Cod. II. apud Cel. ΜΑΤΤΗΑΕΙ, qui loco ὁ bis habet: ὁ. Quod etsi videtur siue ex vitio, siue ex interpretamento librarii ortum esse; tamen interpretationem nostram egregie confirmat. Neque enim necesse est, vt iungatur vocabulo: πατρί, versiculo antecedente; potest enim ac debet ex eodem versiculo repeti: ὁγῆ, siue ex segmento vicesimo: τόπω. Vnde sensus enascitur is, quem diximus. Denique et illud est tenendum, Dominum dixisse: nos sacra facimus. Id enim in sententiam peruersam detorquere conati sunt antiquissimis temporibus, qui inique sentirent de natura Iesu diuina, tanquam se ipse annumerasset cultoribus Dei, neque adeo Deus esse posset. Vnde interpretes antiquissimi multa disputarunt ad hunc locum contra opinionem illam improbam, docueruntque, Dominum vel tanquam hominem haec dixisse, quemadmodum supra ad fontem fatigatus sedisse dicebatur; eiusdem enim fuisse naturae, et fatigari et sacra facere; vel non ex veritate, sed ex mulieris opinione locutum fuisse, quae vatem illum quidem, sed hominem tantum arbitrabatur esse. Sic haud dubie rectissime, praeter ceteros, CHRYSOSTOMVS statuit in *Io. Hom. XXXIII. p. 190.* qui: *ne mireris, inquit, quod Iudaeis se annumerauerit; nam secundum mulieris opinionem locutus est tanquam propheta Iudaeorum; illud ergo: NOS, est: nos Iudaei.* Itaque in vniuersum docere voluit Dominus, rectius Iudaeos in templo, quam Samaritanos in monte sacra facere. Cuius quidem sententiae causam subiecit hanc: ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. Ac vocabulum quidem σωτηρίας haud dubie rectissime interpretatus est FISCHERVS, Vir Eruditissimus et Celeberrimus, *Prolog. VIII. de vitiis Lex. N. T. p. XXVI.* quod nimirum h. l. idem declarare docuit, ac σωτήρ, quemadmodum τὸ σωτήριον, apud Lucam in *Ev. II, 30. III, 6.* idem sit, quod ὁ σωτήρ. Hinc sensus illorum verborum existit hic: *Servator e Iudaeis originem ducit; atque ita Dominus disputavit fere in hanc sententiam: apud eam gentem haud dubie est et esse debet*

bet

bet verus et legitimus cultus publicus, ex qua Messiam nasci voluerit diuina sapientia. Sed alii aliter de hoc loco sentiunt, de quorum interpretationibus per proxime sequentem opportunitatem videbimus.

Haec enim scripsimus, vt inuitaremus vos, COMITES ILLUSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQUE CIVITATIS AMPLISSIMI, CIVES GENEROSISSIMI et HUMANISSIMI, ad audiendam nobiscum orationem, quam, in memoriam BENEFICII MARPERGERIANI, proxime futuro die Veneris, qui incidit in XXX. Maii, recitabit CAROLVS GODOFREDVS IEHNICHEN, *Art. Lib. Mag. et Amplissimo Ordini Philosophorum Adiunctus Ordinarius*, Vir Praecellentissimus et commendatissimus ab ingenii elegantia, omnisque elegantioris doctrinae, imprimisque literarum graecarum latinarumque scientia exquisita, earumque studio acerrimo, quod excitauit patris reuerendi doctrina non vulgaris, fouit et aluit illustris Moldani, cui Deus faueat! disciplina excellens, firmavit denique Academia nostra, sic, vt in eo haberet praeclarum earum doctorem, atque respublica literaria vniuersa, vt confidere posse videmur, in eo aliquando habitura sit earum praesidium et ornamentum illustrissimum. Dicet autem *de laudibus et vitiis quibusdam educationis veterum Graecorum et Romanorum*. Quo magis speramus, fore, vt et propter Viri talis doctrinam et eloquentiam, et propter beneficii ipsius magnitudinem et excellentiam, ad audiendam eius orationem frequentes veniatis, quod vos etiam vehementer rogamus. P. P. in Vniuersitate Literarum Wittebergenſi
Dom. I. p. Trinit. a. C. MDCCCLXXXVIII.

WITTEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.